

quez, Reginaldus, & alii. Distingunt Clariss. P. Mezger *cit. disp. 35. art. 5. num. 16.* Eximius P. Wenzl *de LL. quæst. 4. §. 4. post resol. 5.* hisque patrocinari videtur Reverendiss. & Magnific. Stadlmayr *de LL. cap. 4. th. 4.* ac materiam materialiter gravem sub obligatione levi præcipi posse, concedunt; materiam verò formaliter gravem sic imperari posse, inficiantur. Cum his & ego distinguo, ac

402 Dico I. Si materia materialiter sit gravis, potest recipere levem obligationem; scilicet, si formaliter gravis sit. Ratio est: quia materia, quantumcunque ex objecto suo gravis, non cadit sub obligationem Legis, nisi quantum tanquam medium subsistat fini, per Legislatorem intento. Ergo si Legislator videat, non expedire ad finem, à se intentum, ut materia de se gravis cum gravi obligatione præcipiatur, fortè quòd subditi ob nimiam proclivitatem contra illam materiam frequentissimè peccaturi prævideantur, poterit attemperare obligationem, ac materiam gravem sub veniali præcipere. Econtrà si

403 Legislator perpendat, omnino exigere salutem Reipublicæ, ut materia de se gravis sub mortali præcipiatur, ex iustitiâ Legali debet obligationem gravem injungere: cum alias bonum publicum, ad cuius consecutionem potestas Legislativa per se tendit, magis perderet, quam promoveret.

404 Quoad alteram quæstionem similiter satis certum est I. Legem Naturalem obligare cum periculo vitæ, quando res præcepta continet absolutam & intrinsicam turpitudinem, vel inhonestatem. Cum enim, quod ab intrinseco turpe est, nullâ circumstantiâ coheresceri possit, nullò quoque tempore, tamen si periculum mortis imminet, honestè & licet fieri potest. Palao *de LL. disp. 1. punct. 116. n. 3.*

405 Certum est II. Legem Naturalem non obligare cum periculo gravi, quando res præcepta non absolutam, sed conditionatam inhonestatem vel turpitudinem continet. E. G. tamen si reddere depositum, restituere debitum, tenere secretum naturale, ex Jure Naturæ teneamur: nihilominus, quia Jus Naturæ ad similes actus non obligat absolute, sed conditionatè, suppositâ videlicet liberâ obli-gandi voluntate: hinc, instante mortis periculo, ad eosdem actus non obligamur: eò quòd ex præsumpta mente paciscentium credibile non sit, quæpiam fe voluisse cum tanto rigore obligare. P. Paul. Mezger *de art. 4. n. 19.*

Certum est III. contra Cajetanum & quosdam, à Suarez *d. l. 3. c. 30. num. 3.* citatos: Legem positivam, Divinam & humanam, licet obligare possit cum periculo vitæ, non tamen semper ita obligare. Quamvis enim DEUS Opr. Max. vitæ & corporum nostrorum sit absolutus Dominus, ac Reipublicæ jus in vitam & membra hominum indulserit: at tamen nec DEUS, cujus natura bonitas & benignitas est, tantò cum rigore semper obligare intendit, uti constat ex *1. Reg. 21. Matthæi cap. 11. v. 29. & cap. 12. v. 3. & seqq. nec 407* Respublica, cujus dominium non absolutum, sed restrictum est, potest tantà cum severitate Leges suas exasperare, utpote quæ non essent commensurate fragilitati subditorum. Unde in *cap. consilium 2. de Observat. sejunior. decretum est, obligationem jejuniandi in gravi necessitate non habere locum.* Solum ergo determinandum superest, quandònam Lex Divina vel humana cum periculo vitæ alteriusve gravis damni obliget? Ubi cum communi

408 Dico II. Quando magis conducit ad bonum commune, Legem observari, quam vitam conservari, Lex obligat etiam cum periculo vitæ: quando verò ad bonum commune magis conducit, vitam propriam, quam Legem servari, Lex non obligat cum periculo. Ratio est: quia tandiu stat Legis obligatio, quandiu perdurat finis, qui est bonum commune. Ergo si bonum commune flagitet, ut Lex magis quam vita propria aut fama custodiatur, Lex cum periculo vitæ aut famæ obligat: si verò bonum commune id neutiquam exigit, cessat finis Legis, & cum fine obligatio. Hinc est, 409

quòd milites exponi in stationibus periculosis; Sacerdotes ad Sacramenta, tempore pestis administranda, compelli possint. Hinc est, quòd cum scandalo aut contemptu Religionis diebus festivis negligere Missam, exercere opera servilia, comedere carnes diebus jejuniis, ne quidem in gravi discrimine liceat. Quia videlicet bonum commune flagitat, ut potius privatus, quam Patria vel Religio patiatur. Quòd si scandalum aut contemptus absit, ac gravis necessitas occurrat, cessat Legis ratio & obligatio. Consultantur Mezger *d. a. 4. num. 19. & seqq. Petrus schacher de LL. quæst. 4. art. 8. §. 4. d. b. i. f. 121. Wenzl cit. loc. 9. 4. §. 4. resol. 2.*



CA.

CAPUT II.

De Jure Naturali.

Juris Legalis, cujus genericam notitiam in *cap. prac.* considerationis trutinæ ap-
 politum, prima species est Jus Naturæ. Huic, pro sua dignitate explanando,
 peculiare Cathedras ab A Catholicis erectas fuisse, refert D. Braun *de Jurisprud.*
p. 2. cap. un. §. 1. num. 12. A Catholicis non quidem peculiaris Cathedra, magna
 tamen ex parte Theologia Moralis eidem studio consecratur. Jurium quoque
 Professores, ubicunque tempus & opportunitas est, quæstiones de Jure Naturæ
 suis elucubrationibus immiscunt. Nos compendiosam illius epitomen, juxta sa-
 niora & sanctiora Veritatis intemeratæ principia, hic conscribemus.

SECTIO I.

De Juris Naturalis essentia.

SUMMARI A.

1. & seqq. Varii Antiquorum sensus de nomine
 Juris Naturalis. 6. & 7. Sumitur pro inflin-
 tu Naturæ. 8. & seq. Item pro congruentia
 vel permissione Naturali. 10. Propria acceptio.
 11. Diversa synonyma. 12. Dicitur Lex æter-
 na. 13. & seqq. Explicatur, in quoniam sensu
 illud procedat. 18. & seqq. Adducitur definitio
 Justiniani & Ulpiani. 21. & seqq. Impu-
 gnatur. 27. & seqq. Declaratur. 30. Af-

feritur definitio Vasquii. 31. & seqq. Impetu-
 tur. 34. & seqq. Ad rationem contrariam res-
 pondetur. 37. & seqq. Refertur definitio Gra-
 ti cum suis argumentis. 41. & seqq. Everit-
 tur. 48. & seqq. Ponitur & per singulas par-
 ticulas explicatur nostra definitio. 59. Exa-
 gnatur cum aliis definitionibus. 60. & seqq.
 Quinaria differentia inter Jus Naturale & Po-
 sitivum demonstrantur.

§. I.

Etymologia Juris Naturæ.

- 1 Jus Naturæ, ex mente Aristotelis, dicitur, quod ubique vivo habet eandem, & non quid videtur, vel non videtur. Hoc est, ut exponit Eminentissimus noster Cardinalis de Aguirre *Philosophia Moralis Lib. 5. cap. 8. num. 2.*, quod „ex propria ratione seu quidditate sua vim „habet, non autem ex eo, quòd ab hoc vel „illo decernatur, justitiamve existimetur. Ha- „bet enim, pergit Purpuratus Doctor, Jus „Naturale veritatem & rectitudinem sibi in- „sitam: atque adeò non pendet vel ab arbi- „trio, vel ab opinione hominum, ut justum „sit.
- 2 Cicero *l. 2. de iro.* apud eundem Cardinalem citatus, *Naturæ quidem, ait, Jus est, quod non opinio genuit, sed innata quodam vis afferat: ne religionem, pietatem, vindicationem, veritatem.*
- 3 Justinianus Imperator in §. 1. *Inst. de J. N.*

G. & C. *Naturalia*, inquit, *Jura*, quæ apud omnes gentes peræque custodiuntur, Divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent.

Episcopus Cyrensis, à D. Braun *cit. loc. n. 3.* allegatus, Jus Naturale morale disciplinam vocat, quam mortales omnes Natura ipsa perdocuit: creator enim DEUS (prosequitur ille) cum hominem formasset, Naturæ indidit bonorum malorumque discretionem.

Volunt ergo prænominati Authores, Jus Naturæ ex eo dictum & deductum esse, quòd Lex hominibus à Natura quasi cognata & congenita sit; quam, edifferente Tullio inorat. pro Mil. non didicimus, legimus; verum ex ipsa Naturæ hausimus, accepimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non insitum, sed intuitum sumus.

§. II.

Homonymia Juris Naturæ.

- 6 Jus Naturæ, ita derivatum & descriptum, in diversas abit significationes. Prima est, quæ sumitur pro instinctu Naturæ, quòd ad certas quasdam actiones ex ipsa Naturali inclinatione propendemus. Tales sunt conjun-

ctio maris & foemine, liberorum procreatio & educatio, sui conservatio & defensio &c. Et in hoc sensu accipienda est illa Imperatoris in *pr. Inst. de J. N. G. & C.* & Jcti in *l. Juri* 1. §. 3. *ff. de J. & F.* sententia, quando omnia

animantia Juris Naturalis peritiā esse prædita pronuntiārent. In alium sensum, si dicta sententia desectatur, sensum non meretur ex dicendis in §. 4.

8 Altera significatio est, quā Jus Naturæ denotat illa capita, quæ creaturæ rationali sunt quidem consentanea vel dissentanea, non tamen præcepta vel prohibita. Hæc significatio, veluti rectè præcepit D. Braun d. §. 1. num. 2. latissimè patet. Nam ea, quæ Juris Naturæ præcepta vel prohibita non sunt, sub prohibitionem & præceptum Legis positivæ veniunt. Facit quoque, ut Jus Naturæ, adnotante D. Gletle in *Furisprud. fund. lib. 1. tit. 2. cap. 2. §. 2. num. 2.* variis nominibus efferatur; ac Negativum, Permissivum, Conditionatum, appellatur. *Negativum:*

§. III.

Synonymia Juris Naturæ.

11 Quam multiplicia nomina Veteres & Moderni DD. Juri Naturali imposuerint, vix unā pagellā describerem. Jctus Cajus in *L. omnes populi 9. ff. de J. & J.* Jus Naturæ vocat *Jus commune*. Cicero *pro Milone*, ante relatus, nominat *Legem non-scriptam*. Seneca de *Beneficiis lib. 4. cap. 7.* appellat *Legem Divinam*. DD. alii aliter, & Jus Naturæ jam lumen rationis, modò dictamen intellectus, aliàs regulam justitiam nuncupant.

12 Apud Theologos, quorum doctrinam in hac materia perlibenter amplector (non attentis iis, quæ acerbiori stylo, nescio quò ministrò affectu in transversum acti, Joannes Gröningius in *sua Bibliotheca Juris Gent. l. 3. c. 7.* & Joannes Fridericus Ludovicus in *Actin. hist. Juris Div. Nat. §. 17. & seqq.* contra eosdem Theologos absque fundamento & ratione scripserunt) Lex Naturalis, frequenter *Lex Æterna* salutaris. Ubi tamen

13 Adverto I. Legem Æternam ex D. Augustino *Lib. 1. de Lib. arbit. cap. 6.* esse summam rationem, in DEO existentem, cui semper obtemperandum est. Hancque ex Gentilibus præcipuè agnovit Cicero de *Leg. lib. 11.* ubi scribit: *hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, Legem neque hominum ingenii excogitatam, neque situm aliquod esse populorum, sed æternam quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem Legem illam & ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogenti aut veramini DEI: ex qua illa Lex, quam Dii humano generi dederunt, rectè est laudata. Est enim ratio mensque Sapientis ad jubendum deterrendumque idonea.*

14 Adverto II. Legem Æternam, docentibus

quia objecta illius positivā dispositione & obligatione recta ratio non attingit. *Permissivum:* quia exercitium actionis circa talia objecta pendet ex libera hominum voluntate. *Conditionatum:* quia non absolutè recta ratio similes actus exercere permittit, sed sub conditione tacitā: donec Jus positivum contrarium disposuerit. Quamam verò objecta talia sint, in *cap. 2.* explicabitur. Sed istæ significaciones sunt minus propriæ. Itaque

Tertia, & nostræ dispectioni propria Juris Naturalis significatio est, quā dicit Jus Legale, seu normam & regulam humanarum actionum, quatenus iuxta dictamen rectæ rationis ob intrinsecam exigentiā formandæ & componendæ sunt.

ita Sant-Gallenibus de *LL. Sect. 2. q. 1.* & P. Paulo Mezger *Theol. Schol. tract. 8. disp. 32. a. 1. num. 1.* dupliciter accipi posse. I. in latiori significatione, quatenus denotat rationem Divinæ Sapientiæ, directivam omnium motuum & creaturarum in suos fines. II. in pressiori sensu, quatenus significat rationem ejusdem Divinæ Sapientiæ, actus liberos creaturæ rationalis efficaciter ordinantis in finem ultimum.

Adverto III. eos, qui cum Gonzalez in *apparatu de orig. & proc. Jur. Can. n. 4.* contendunt, Legem Æternam æquè ad creaturas rationales & irracionales extendi, in prima & latiori significatione intelligendos esse. Quamquam enim ex pluribus S. Scripturæ locis habeatur, DEUM creaturis, ratione carentibus, v. g. aquis & pluvii Legem posuisse *Job. 28. Proverb. 8.* Attamen, quia Lex propriè dicta non respicit nisi creaturas, quarum actiones sunt morales & liberæ: idè Lex Æterna in brutis, quorum actiones non sunt liberæ, veluti in §. seq. videbimus, inveniri nequit, nisi tantum in lata significatione, in qua & citata & alia Scripturæ testimonia exponi debent. Sant-Gallenenses *d. l. conclus. 3.*

Adverto IV. Doctores alios, qui nobiscum Legem Æternam cum Naturali componunt, in posteriori & pressiori sensu Legem Æternam usurpasse. Cum enim, ex decidendis postea, Lex Naturæ non afficiat creaturas alias, quam intellectuales; neque Lex Æterna, in propria significatione, dirigat actiones alias, quam liberæ & morales: hinc in memorato sensu utrumque Jus accipiendum est. Pettschacher de *LL. quæst. 2. art. 2. f. 37. & 38.*

§. IV.

Nonnullæ Juris Naturæ Definitiones, ab aliis assertæ.

18 Omnes Juris Naturæ definitiones, ab aliis assertas, non refero. Nonnullas, sed ferè præcipuas, adduco. Ex quibus prima &

valde communis Civilistis quondam erat definitio Justiniani & Ulpiani in *pr. Inst. de J. N. & G. & l. Juri 1. §. 3. ff. de J. & J.* Jus Naturæ

turæ describentium, quod *Natura omnia animalia docuit*. Quibus suffragia sua dederunt Gassendus, Mæstertius, Ungepaup, Corasius, Gentilis apud Joannem Gröningium *Biblioth. Juris Gent. l. 3. cap. 4. & 7. n. 3.* allegati. Gonzalez *cit. l. 1. n. 10.* Clariff. D. Christophorus Chlingenperger ad *d. tit. Inst. de J. N. G. & C. 19. quæst. 2.*

Favent illis tam Divina Authoritas, quam humana Ratio. Authoritas fundatur in *cap. 9. Genes. 1. Levit. 20. f. 15. & seq. Exodi 21. f. 28. & seqq.* ubi varii textus de puniendis brutis animalibus reperiantur; sicque insinuari videtur, bruta, cum poenæ sint obnoxia, culpæ quoque, obligationis, & Juris Naturalis esse capacia. Ratio deducitur ex modo operandi, brutis plurimis, singulariter verò canibus, apibus, similibus &c. familiari, quò tam dextrè & accuratè suas actiones attemperare sciunt, ut planè ex rationis dictamine provenire credantur.

21 Sed hanc definitionem cum Platone, Aristotele, & frequentissima Philosophorum Veterum Schola refellunt concorditer ferè calamò Moderni isti; quibus ex nostris Salisburgensibus annumerantur Clariff. DD. Braun de *Imperio Mera cap. 1. §. 6. n. 17.* Gletle *cit. Furisprud. fund. cap. 2. §. 1.* Franz ad *tit. Inst. de J. N. G. & C. p. 1. n. 6.*

Ratio est I. quia ipsimet Justinianus & Ulpianus in *princ. Inst. & l. 1. §. 3. ff. Si quadrupes pauper* negant, bruta cuiquam injuriam irrogare posse; quod tamen negare non potuissent, si bruta Juris capacia fuisse dicerent: cum injuria nil aliud sit, quam quod non Jure vel contra Jus sit. II. quia adstructa definitio hoc absurdum parit, brutis competere jus adversus hominem; postèque hominem injustitiæ & injuriæ insimulari, qui bestiam occiderit, contra Veritatis Increpate clarissima asserta in *Psalmo 8. v. 6. & seqq.* quibus plenissimum homini dominium in res sublunares, animatas & inanimatas, tribuitur.

III. quia creaturæ irracionales nequeunt dirigi veræ rationis ductu aut dictamine: quod enim rationis expertus est, quomodò rationi se conformabit? IV. quia experientia docet, bruta ex necessitate Naturæ ad unum quoddam objectum affixa & alligata esse; neque tam agere ex libera electione, quam agi ex impressa motione ad finem, à Natura præfixum; & quispiam dixerit, actus necessarios per regulam moralem ad rectitudinis orbitam inverti? Rectè igitur Plato: *nostra terra ex omnibus animalibus hominem genuit, qui ceteris intelligentia præstat, solusque Jus ac DEOS animadverit.* Rectè Aristoteles: *Jus esse non potest, inter quos neque Lex est, neque justitia est neque injustitia.*

22 Quid ergo ad definitionem Imperatoris & isti? Dico liberè. Aut neganda his Legislatoribus Authoritas in materia Juris Naturalis; aut explicanda definitio in sensu materiali minusque proprio de actibus quibusdam, brutis & hominibus quoad objectum & materiam communibus. Quid ad textus sacros? Cum D. Braun respondendum: bruta

ta non puniri ratione præcedentis culpæ, sed vel in detestationem criminis; vel ad memoriam nefarii facinoris abolendam; vel ad tollendam peccandi occasionem; vel in poenam negligentis custodiæ; vel ne ultra nocerent.

Quid ad rationem? Utendum responsione Samuelis Puffendorff de *J. N. & G. l. 2. c. 3. §. 2.* ex beneficio dispositionis Naturalis & creatoris provenire, quòd aliqua animantia solertiùs & perfectiùs, alia tardius & imperfectiùs operentur.

Secunda definitio est illorum, qui cum Vasquezio Jus Naturæ deferunt, quòd sit ipsa Natura rationalis, quatenus est prima regula vel boni convenientis, vel mali inconvenientis. Fundamentum est: quòd aliquæ actiones intrinsecam continent malitiam; nec pendeant in malitia ab extrinseca prohibitione, judicio, vel voluntate Divina: sicque radix & basis hujus turpitudinis in ipsa ratione Naturali residet.

Verum à paucis hoc placitum applausum & approbationem invenit. I. quia Lex Naturalis, ex Ore Apostoli ad *Rom. 2. v. 14.* est scripta in cordibus hominum. Ergo Natura rationalis non est Lex Naturæ, sed potius subiectum Legis Naturalis. II. quia Lex;

Naturalis est vera Lex, progrediens à Superiore potestate. Ergo non est ipsa Natura: quia Natura Lex Naturali inferior; nemo autem se ipsò interior simul & superior est. III. quia Natura creata nequit esse prima regula, indefectibilis, & immutabilis. Ergo nequit esse Lex Naturalis, urpote quæ est prima regula, indefectibilis, & immutabilis. Ita ex nostris Theologis cum Suarezio de *LL. l. 2. c. 5. n. 5.* docent Keding de *LL. q. 15. art. 1. contr. 2.* Caramuel *Theol. Reg. disp. 2. à n. 20.* Sant-Gallenenses *d. sect. 2. quæst. 2. concl. 1.* Pettschacher de *LL. q. 3. a. 1. conclus. 2.* Mezger *cit. disp. 32. a. 2. n. 7.*

Ad fundamentum contrarium Resp. I. 34 P. Mezger *cit. l. n. 10.* actiones intrinsecè malas dari independentèr à Divina Voluntate fundamentaliter, non formaliter: cum malitia formalis cujuscunque actus à repugnantia ad Legem desumatur. Similem repugnantiam habet P. Joannes Baptista Erhard *Quæst. Theolog. de Peccat. lib. 16. & seqq.*

Resp. II. 35 Caramuel *d. l. n. 21.* ante decretum DEI liberum dari actiones malas physicè, non moraliter tales. Actiones physicè malas compellat, quæ habent deordinationem physicam & realem, respectu alterius entis, uti v. g. occisio Leonis est mala physicè respectu Leonis: quia est deordinatio ab appetitu Leonis, quò petit sui conservationem. Actio-nes moraliter malas dicit, quæ habent deordinationem respectu indictæ Legis: ex quo est, quòd homicidium v. g. non fit malum moraliter, si non supponatur Lex aliqua prohibitoria; etsi sit malum physicè: quia contra appetitum hominis occisi exercitur.

Tertia, ac pluribus æquè Theologis quam Jureperitis probata est definitio Hugonis

Grotii, qui in *tratt. de Jure B. & P. l. 1. c. 1. n. 10.* Jus Naturale adumbrat, quod sit dictatum recte rationis, indicans, actui alicui, ex eius convenientia aut disconvenientia cum ipsa Naturarationali, inesse morale turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab Authore Naturæ DEO talem actum aut vetari, aut præcipi. Vel, ut alii Grotii sequaces definiunt brevius, Jus Naturæ est congruentium rectæ rationis dictamen, præcipiens ea, quæ creaturæ rationali quæ tali sunt consentanea, & prohibens contraria.

38 Probatur hæc definitio I. tum ex *cit.* textu Apostoli ad Rom. 2. §. 14. ubi, cum dixisset, *Genes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Leges sunt, faciunt; ejusmodi Leges non habentes, ipsi sibi sunt Lex;* quasi declaraturus, quomodo sibi sint Lex, & quæ sit illa Lex, §. 15. subdit: *ostendimus opus Legis scriptum in cordibus suis,*

39 *testimonium reddente illis conscientia ipsorum:* tum ex textu *Psalmi 4.* ubi in §. 6. querit ex mente aliorum *Paltes Regius, quis ostendit nobis bona? sive, quis regulam bonæ & honestæ operationis indicat? Moxque responsi loco in §. 7. subjungit: signatum est super nos lumen vultus tui Domini.* Quem textum Angelicè illustraturus D. Thomas q. 91. a. 2. in *O. lumen rationis naturalis, scribit, quod discernimus, quid sit bonum, quid sit malum, quod pertinet ad Legem Naturalem, nihil aliud est, quam impressio Divini luminis in nobis.*

40 Probatur II. Lex Naturalis est in homine: quia, cum creata sit, non est in DEO; & quia non tabulis, sed cordibus est impressa, non extra sed intra hominem existit. Si hoc; certè dictamen rectæ rationis est Lex Naturalis: quippe quod dictat homini, quid agendum, omittendumve sit.

41 Probatur III. Effectus Legis Naturalis, non minus quam alterius Legis, sunt dirigere & obligare: hi verò nulli potentia aut facultati aptis adscribuntur, quam rectæ rationi ejusque dictamini: eò quod Regis & Gubernatoris munus respectu hominis sustineat. Ergo dictamen rectæ rationis est Lex Naturæ. Ergo posterior definitio est bona.

42 Verùm, tametsi argumenta propozita offendant, Legem Naturalem virtualiter in dictamine rectæ rationis consistere, quatenus Lex Naturæ non obligat, nisi prout se tenet ex parte hominis, & remanet in aliquo suo effectu vel signo: non tamen evincunt, Legem Naturalem formaliter esse dictamen rectæ rationis.

tionis. Ratio est I. Omnis Lex constituitur actu & autoritate Superioris. Ergo etiam Naturalis. Atqui dictamen rectæ rationis non constituitur actu & autoritate Superioris: provenit namque à Natura rationali, quæ seipsa non est superior & inferior. Ergo &c. II. Actus intellectus, judicans & indicens, hoc vel illud objectum esse præceptum aut prohibendum, formaliter non est Lex, sed applicatio Legis: aliis enim admittere necessum foret, actum intellectus, quò quis judicat, jejunium ab Ecclesia interdictum esse, esse ipsam Legem Ecclesiæ de servando jejunio; quod ridiculum est. Sed dictamen rectæ rationis est actus intellectus, judicans & indicens, hoc vel illud objectum esse præceptum aut prohibendum: quia est actus, quò cognoscitur, hoc vel illud objectum obligationem, quæ sine præcepto aut prohibitione nequit percipi, imponere. Ergo &c. III. Quod essentialiter defectibile, nequit esse regula indefectibilis. Atqui dictamen rectæ rationis, æquè ac Natura rationalis, de qua in num. 16. est essentialiter defectibile, utpote creatum & corruptum: Lex verò Naturalis est regula indefectibilis. Ergo dictamen rectæ rationis non est formaliter ipsa Lex Naturalis.

Ex his & aliis rationibus negant Reverendissimi & Magnifici Stadlmayr de LL. cap. 2. sb. 4. num. 2. Illustriff. Caramuel *cit. disp. 2. n. 22.* Pettschacher d. art. 1. concl. 3. Mezger d. a. 2. num. 3. Legem Naturalem, quæ talem formaliter, esse sitam in dictamine rationis; & consequenter præmissam definitionem non recipiunt.

Quid adversæ probationes concludant; dictum est in num. 22. Cui insuper adijci potest, quod dicit Caramuel *cit. n. 22.* nempe ad Legem Naturæ dictamen mentis requiri essentialiter, tanquam conditionem necessariam; quod non est peculiare Legi Naturæ: reperitur enim in reliquis præceptis & Legibus, quæ non obligant, nisi sufficienter promulgentur, & physicè moraliterve cognoscantur. Unde Magnus D. Augustinus 47

*Lib. 2. de Serm. Dom. in Monte ait: nullam animam esse, quæ ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur DEUS. Quis enim Legem Naturalem in cordibus hominum scribit, nisi DEUS? Ecce! subintert *cit.* Caramuel, Legislator non est ratio, sed DEUS: ratio autem est tabula, in qua DEI digitò scribitur Lex Naturalis.*

§. V.

Nostra Definitio.

48 Post celebriores aliorum definitiones nostram adorno, & dico: quod Jus Naturale sit ordinatio Divinæ Sapientia, per dictamen synteresis Naturæ rationali manifestata, præcipiens ea, quæ rectæ rationi sunt consentanea, & prohibens contraria.

49 Dixi I. ordinatio. Ut significarem genus

proximum, seu convenientiam Juris Naturalis cum Jure Legali in genere, de qua in cap. 1. §. 2. a. n. 5.

Dixi II. Divina Sapientia. Ut innuerem I, 50 causam efficientem Juris Naturalis, quæ non est alia, quam Divina Sapientia, juxta illud Stoicorum effatum: *non potest inveniri aliud justitia*

justitiæ principium, alia origo, quam à Jove & communi natura petitur: inde enim necesse est, omnia ista nos exordiri, si volumus aliquid de bonis & malis dicere.

Nec tamen excludo, sed includo, & conjungo cum Sapientia Voluntatem Divinam, quæ sine nec est, nec esse potest ulla cujuscunque Legis obligatio. Pettschacher d. q. 3. a. 1. f. 45. Ut innuerem II. Legem Naturalem non differre ab Æterna, in strictiori significatione acceptâ, secundum D. Thomam q. 71. a. 6. ad 4. dicentem: *Legem Naturalem contineri principaliter in Lege Æterna, & secundariò in judicatorio rationis naturalis.* Pettschacher d. l.

Dixi III. per dictamen synteresis; hoc est, iudicium practicum habitus primorum principiorum moralium. Nam, ut differit Gonzalez *cit. l. n. 9.* „lumen Naturalis rationis, subservit synteresis, quæ est virtus, vel mentis nostræ habitus, quò inducimur ad con-, sequenda imperata per Jus Naturale, & ad fugienda, quæ prohibet.

Dixi IV. Naturæ rationali. Ubi subiectum Legis Naturalis indigito, quod est omnis & solus homo. Omnis: quia, qui homo, simul & rationalis est. Solus: cum ineptè dicatur Jure & Regulæ rationis gubernari, qui ratione non pollet. Unde, quod ait Gentium Doctor, Legem Naturalem esse cordibus omnium Gentium inscriptam, ita interpretandum est, ut Naturæ rationali impressa censetur, ac casu, quò contra illius dictamen creatura rationalis operatur; illic exurgat conscientia, D. Bernardo dicta *cordis scientia,* & sub motu ac morfu transgressionis malitiam redarguat; significante id ipsum D. Chrysolomò *homil. 17. in Genes. ibi: estis milites quis improbus fuerit, non interit iudicium conscientia: est enim Naturale, & à DEO institum.* Et paulò post, sufficit pro *Lege conscientia, & rationis usus.* Quin & hom. 4. contra illos, qui Naturam animalem Juris participem esse venditant, ita scribit: *per Philosophos hoc semper egit Diabolus, ut ostenderet, nostrum genus nihil à brutis differre, quando nonnulli in opinionem tam absurdam venerunt, ut animalia rationis expertia, ratione prædita esse dicerent.*

Dixi V. manifestata. Est igitur dictamen Naturale, uti discurret Magnif. Pettschacher *cit. l. p. 44.* „formaliter non ipsa Lex Naturalis, sed solum hujus applicatio, eò ferè modò, quò dictamen rationis in subdito de servanda Lege humana est hujus applicatio, non verò ipsa Lex; sive illud antecedit immediate electionem, sive usum activum: sive, quod idem est, illud sit dictamen practicum, sive practicè practicum. Præsentè hoc Seneca, dum *lib. 4. de Benef. c. 7.* obser-

vat: *Jus Naturæ, à DEO datum, esse Divinam Legem, & rationem toti mundo & partibus ejus fortiter & suaviter inserram.* Ex quo ulterius sequitur, infantem, licet Naturâ rationali consentent, Jure tamen Naturæ in actu secundo non obligari, antequam per usum rationis & maturitatem judicii, quæ circa annum ætatis septimum communis advenire consuevit, promulgetur.

Dixi VI. præcipiens ea, quæ rectæ rationi consentanea sunt. Hic duo notanda afferro. Primum est, Jus Naturæ aliud præceptivum, aliud esse prohibivum. Alterum est, Jus Naturæ pro suo objecto agnoscere, quidquid rationi naturali quæ tali vel convenit, vel disconvenit. De quo ex instituto in *sect. seq. per tot.* Ex his

Colliges I. nostra cum definitione convenire illam, à Clariff. P. Mezger *cit. a. 1. n. 5.* datam, quòd Jus Naturæ sit ordinatio Divinæ Sapientia, per dictamen synteresis Naturæ rationali impressum, quæ dirigitur in suum finem ultimum, per media necessaria consequendum. Concordat & illa Romani Sapientis ad suum Lucilium *Epist. 65.* quòd Jus Naturæ sit à DEO, tanquam Naturæ Authore impressum, inditumque cordibus nostris, per quod secundum dictamen rationis practica actus humanos liberos ad bonum justitiamque dirigimus.

Colliges II. in quònam discrepet Jus Naturæ à Positivo. I. enim differt in *Causa Efficiente:* dum Jus Naturæ DEUM, ut Authorem Naturæ; Positivum aut hominem, aut DEUM, sub alio tamen respectu, pro fonte & origine agnoscit. II. in *Causa Materiali:* nam Juris Naturalis objecta antecederent ad prohibitionem fundamentalem, radicalem, aut physicam quandam bonitatem vel malitiam continent; Juris Positivi capita independentè à prohibitionè vel præcepto sunt indifferentia. III. in *Causa Formali:* Jus Naturale siquidem solâ DEI, tanquam Naturæ Naturantis (si loqui fas est) voluntate constitutum, ac hominum mentibus inditum, nec voce nec scripturâ promulgatur: Jus Positivum non membranæ cordis inaratur, sed vel scriptò datur, vel præconis ore publicatur. IV. in *Causa Finali:* finis enim Naturalis Legis est utilitas totius Naturæ, in se considerata: finis Positivæ Legis pro Legum varietate varius est. V. in *Effectu:* nam Jus Naturæ devincit omnes, quotquot Naturâ intellectuali fruuntur; & tantâ quidem virtute, ut propriam mutationem non recipiat, prout dicemus in *sect. 3.* Jus positivum non omnes, sed illos tantum obstringit, qui Legislatori sunt subiecti; nec tanta cum energia, ut mutationem, propriam quoque, non patiarur.

Colliges III. in quònam discrepet Jus Naturæ à Positivo. I. enim differt in *Causa Efficiente:* dum Jus Naturæ DEUM, ut Authorem Naturæ; Positivum aut hominem, aut DEUM, sub alio tamen respectu, pro fonte & origine agnoscit. II. in *Causa Materiali:* nam Juris Naturalis objecta antecederent ad prohibitionem fundamentalem, radicalem, aut physicam quandam bonitatem vel malitiam continent; Juris Positivi capita independentè à prohibitionè vel præcepto sunt indifferentia. III. in *Causa Formali:* Jus Naturale siquidem solâ DEI, tanquam Naturæ Naturantis (si loqui fas est) voluntate constitutum, ac hominum mentibus inditum, nec voce nec scripturâ promulgatur: Jus Positivum non membranæ cordis inaratur, sed vel scriptò datur, vel præconis ore publicatur. IV. in *Causa Finali:* finis enim Naturalis Legis est utilitas totius Naturæ, in se considerata: finis Positivæ Legis pro Legum varietate varius est. V. in *Effectu:* nam Jus Naturæ devincit omnes, quotquot Naturâ intellectuali fruuntur; & tantâ quidem virtute, ut propriam mutationem non recipiat, prout dicemus in *sect. 3.* Jus positivum non omnes, sed illos tantum obstringit, qui Legislatori sunt subiecti; nec tanta cum energia, ut mutationem, propriam quoque, non patiarur.

SECTIO II.

De Objecto Juris Naturæ.

SUMMARIUM.

65. Connexio materia. 66. & seqq. Authores eorum argumenta referuntur, qui regulam co-

gnoscendi materiam Juris Naturalis ex Decalogo desumi volunt. 68. & seqq. Sententiæ exam-

serantur.

73. Præcepta Decalogi sunt naturalia. 74. Docentque Jus Naturæ quasi à posteriori. 75. & seqq. Auctores & eorum fundamenta recensentur, qui Jus Naturæ obiectum ex socialitate mensurari putant. 78. & seqq. Auctores contrarii cum suis rationibus adstruuntur. 84. Eminentiora fundamenta priora. 85. Rationes posteriores confirmantur. 86. & seqq. Prima regula cognoscendi Jus Naturæ desumitur ex felicitate Naturæ rationalis quæ talis. 91. & seqq. Secunda petitur ex status abstracto, in quo felicitas illa considerari debet. 95. & seqq. Ponuntur & tolluntur oppositæ.

110. & seqq. Ostenditur ex datis regulis, præcepta Decalogi naturalia esse. 113. & seqq. Ostenditur etiam, matrimonium aequè ac calibatum ad Jus Naturæ revocari. 120. & seqq. Ostenditur præterea, quænam impedimenta Matrimonii pullulent ex Jure Naturæ. 127. & seqq. Ostenditur insuper, in quo sensu patria potestas spectet ad idem Jus. 130. & seqq. Dissipium ostenditur de verum divisione. 133. & seqq. Nec non de servanda fide. 137. & seqq. Item de testamenti faciliore. 139. & seqq. De aliis articulis & obiectis particularibus remissivè.

§. I.

Sitne obiectum Juris Naturalis ex Decalogo dignoscendum?

65. Idem est in definitione Juris Naturalis num. 58. ad obiectum illius pertinere, quidquid rectæ rationi consentaneum aut dissentaneum est. Ex quoniam verò principio discere liceat, quænam rectæ rationi consentanea, quænam dissentanea sint; sicque undènam obiectum Juris Naturalis dignosci debeat? Nodus est intricatior est, quò pluribus multiplicium opinionum ligaturis implicatur.

66. Joannes Gröningius, posteaquam in sua Bibliotheca Juris Gentium supra cit. lib. 3. cap. 2. mordaci calamo Theologos nostros, Scholasticos & Morales, perstrinxerat, quasi recta & vera Juris Naturæ principia depravarent; mox in cap. 3. n. 7. non ab simili crisi sic exorditur: „Ætati Scholasticorum opponitur, nova Epocha, quam Lutheranam dicere soleo, utpotè quæ B. Lutherus (si superius placet,) gratiæ Evangelii armatus, Romano Pontifici & Theologiæ Scholasticæ masculè bellum indixit, operantibus ad eundem scopum aliis probitate & doctrinâ condempnicis viris. Et paulò post scribit. Tum doctrinâ Justitiam solutis vinculis, atque exculso scholasticò pulvere, quò diu factis obducta fuit, ex obsecris Monachorum claustris erupit, atque novos sibi Parentes & Procos adscivit, à quibus etiam tantâ curâ, studio, & dexterrate culta, ut ob ingens incrementum, quod successu temporis accepit, nova quasi se exhibuerit, & omnino avè præstantior

67. Ut verò præfatus Author ostenderet, quinam sint illi, de Lutheranorum secta tantoperè commendati & celebrati viri, adducit in num. 2. primum inter Moralistas, sacris Protestantium addidos, Philippum Melanctonem, qui, ut refert in num. 5. docuit: „integram Justitiam Naturalem & virtutum doctrinam ex Decalogo sumendam esse, in quo expressit DEUS voluntatem suam, & ordine eruditissimè virtutis distribuit, non solum ut doceret, quales nos esse velit, sed etiam ut ostenderet, qualis ipse sit, & nos commonefaceret, hominem ad eam imaginem conditum esse.

Sed qualè elogium ex funestissimo, contra 8 Ecclesiam Orthodoxam infusitò bello; ex Jure Naturæ, quæ verò quæ exemplò non dilucidatò, sed horrendè dehonestatò, Lutherus mereatur, sciunt omnes, quibus veritas in amore & pretio est. Pulchra profectò libertas, quam Legi Naturali à Luthero assertam, deprædicat Gröningius! Antehac Monachorum claustris Jus Naturæ inclusum fuisse, ironicè jactitat. Permittit. Nunquàm tamen effloruit magis, quàm inter Religiosorum, æquè docentium ac scientium eam, quæ Jus Naturæ sunt, felicia septa. At 69 ubi cum Luthero ex claustrò erupit, sanè exlex, ac dissolutum Naturæ Jus fuit. Ille enim publicè dicere & docere non erubuit: *solum fidem necessariam esse, ut justus situs; cetera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita.* Item: *si conscientia dicitur, peccasti; responde, peccavi: ergo DEUS pavit & damnabit? Non. At Lex hoc dicit. Sed nihil mihi cum Lexe. Quare? Omnia habeo libertatem.* Vide Bellarminum locò statim citandò cap. 1.

Hinc & illud fatis admirari nequeo, cur 70 Gröningius Melanctonem, seu Moralium Doctrinæ præcipuum lumen, extollere præsumat; cum tamen nil minus curaverit, quàm moralis doctrinæ prima capita? Tradit liquidem ille, & contendit cum Luthero & Calvinò, veluti refert Eminentiſſ. S. R. E. Cardinalis Bellarminus de Controv. fidei Cathol. rom. 3. de Justificat. l. 4. cap. 10. *aquè impossibilia esse omnia præcepta, atque illud unum, non concupisces. Nullam à sanctis exire posse opus, quod non mereatur justam approbationem mercedem.* Omnia hominum, quantumvis laudabilia opera, plane vitiosa esse, & morte digna peccata. Quomodò igitur sancti & probi justè & probè nominantur, quorum etiam sancta ex obiecto opera, probrosa, vitiosa, morte sunt digna? Quomodò in Decalogo præceptorum Naturalium summa concluditur, quando Leges Naturales, hoc ipsò, quòd Naturæ rationali commensuratae sint, servatæ possibiles; Leges verò Decalogi servatæ sunt impossibiles? An ergo, quam Natura ipsa hominum mentibus imprædit, Legem, contra Naturam exponimus?

72. Argumenta ex S. Scriptura & SS. Patribus contra immanem hunc heterodoxorum errorem producit laudatus Bellarminus cit. loc. cap. 11. & 12. & Illustratissimus D. Augustinus Reding in Concil. Teid. tom. 1. tr. 4. sect. 2. quest. 13. cap. 1. & 2. quem sæculi nostri Augustinum, verumque Herculeum, ad domanda monstra errorum hæreticorum, verè deprædicat D. Braun de Imp. cap. 1. §. 4. sub num. 13. §. 42. 73. Cæterum, etsi Catholicorum doctrinæ quàm optimè conveniat, præcepta Decalogi esse præcepta Divina Moralia, adeoque non

tam positiva quàm Naturalia, sicut in proxima sect. declarabitur; quia verò & Gentes, quæ Legem Divinam scriptam, teste sæpius auditò Gentium Doctore ad Rom. 2. ignorant, Legem Naturalem in sermò & sinu pectoris inclusam gerunt: sanè ad principium aliud, æquè Gentibus ac Christianis cognitum, recurrendum est, si sincerè dignoscere appetamus, quænam ad obiectum Juris Naturalis pertineant. Est igitur Decalogus ratio à posteriori, atque instar promulgationis & declarationis Authenticæ, quâ, quid æquum iniquumve sit naturaliter, edocemur; non autem est ratio à priori, & prima radix, ex qua universa Juris Naturæ capita progerminant.

§. II.

Sitne Obiectum Juris Naturæ ex Socialitate mensurandum?

74. Ita per extensum docet Samuel Puffendorff de F. N. lib. 2. §. 15. quem præcellisse videtur Hugo Grotius de I. B. & P. in Prolegom. sequentibus pronò vestigiò Joanne Jacob. à Rysfel de F. N. lib. 1. cap. 4. n. 48. Jacob. Frid. Ludovico in delineat. hist. Juris Div. Nat. & positivæ §. 27. 101. & 102. Fundamenta, quibus placitum suum stabilium, sunt sequentia. I. enim Creator DEUS soli inter animalia homini sermonem indulcè. Cur? Nisi quia eundem non solum, sed socium esse voluit, atque adeò facultate communicandi & negotiandi cum sociis præditum.

76. II. homo est animal, sui conservandi studiosissimum; per se egenum, sine auxilio sui similitum servari impotens, ad mutuam comoda promovenda maximè idoneum; unâ tamen perulans & maliciosum. Ergo ut homo sit salvas & sospes, socialitatem amet, & societatem querat, necesse est: nôve suâ perulantia aut malitâ sociorum indignationem sibi conciscat, Legem de probè instituenda societate præfixam habeat, opus est. Quidquid ergo socialitati consent, ad obiectum Legis socialis & Naturalis referendum est.

77. III. quia, ut dixerit D. Joannes Geilfusius Professor Tubingensis Conclus. politic. decade 1. lib. 2. homo, ex definitione Aristotelis 1. polit. cap. 2. & 3. est animal, naturâ suâ civile seu sociabile: uti hoc ipsum non experientia tantum & sensus testatur, sed etiam generandi facultas, vis irascendi, principia practica, conatus alios juvandi, sermonisque usus: quæ omnia irrita & frustranea forent, nisi ad societatem homo natus esset. Ergo (inferri potest) quod est ordinatum ad vitam socialem hominis, est conveniens Naturæ hominis. Ergo socialitas est genuinum principium Juris & Legis Naturalis.

78. His se opponunt David Mevius in Nucleo Fvir. Nat. & Gent. Inspec. 3. Thesi. 13. Henricus Cocceius & Samuel illius filius in resolut. dub. de princ. F. N. §. 8. Henric. Ernest. Kestnerus de F. N. cap. 1. §. 11. Gröningius in Bibliotheca F. G. cap. 5. 10. & ipsarum in lib. 3. I. quia P. SCHMIEB JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

fundamentum Juris Naturalis prima Naturæ humane, quatenus est humana, non animalis, principia subministrare debet. At socialitas, cum æquè inter bruta, quàm homines coalescat (uti in examine & agmine apum, nec non cæteris animantibus, aspectum sui similitum querere amantibus, perspicere licet) subministrat principia, non tam humane, quàm animalis Naturæ convenientia. Ergo &c. Quod insuper ex eo confirmatur: quia belluina societas non rarò humanior, quàm laumana est; dum nec leo leonem vitam eripit, nec lupus lupum devorat, sicut homo trucidat hominem.

80. II. quia societas non absolutè & singulis saltem hominibus præcepta noscitur; potestque homo sine societate vivere, licet non sine Lege Naturali. Sic enim Adamus, primus inter homines homo, finit societate aliquantisper vixit, tamen Lege Naturali & rationali, quia rationis eras compos, ligatus. Sic plurimi, partim virtutis partim eruditionis consequendæ desiderio, à turbâ & turba hominum in eremum & loca solitaria se contulerunt; Legibus utique Naturalibus adstricti, licet à foro & societate abstracti. Nequit ergo socialitas universæ Naturæ rationalis principia concludere: cum universi, quibus Natura rationalis imperat, socii esse nec velint, nec debeant.

81. III. quia, ex quo nascitur homo, non ut aliis, sed primùm DEO, deinde sibi, denique proximo vivat, necesse est extare aliquam regulam, quâ instruat & dirigatur, quomodò erga DEUM & seipsum gerere se debeat. Hæc verò regula èdè minus ex socialitate mensuranda est, quò minus officia hominis erga DEUM & seipsum ex societate pendunt. Quid enim, si quis in occulto nescio quæ horrenda flagitia contra primam Decalogi tabulam aut secundam admittat, absque eo, quòd Republicam aut proximum in effectu offendant: anne ex socialitate petenda erit malitia & turpitudine flagitiorum?

IV. quia crimina reperias, quæ Jure Naturæ

turæ quidem verita, societati tamen adversa non sunt. Nam incestus, saltem in linea ascendendum primi gradus, communio mulierum & corporum, adulteria, homicidia, &c. crimina sunt, Jure Naturæ prohibita; & tamen, ut refert Puffendorf d. cap. 3. §. 8. Perse cum matribus, Ægyptii cum fororibus matrimonialia contrahunt. Apud multos adulteria pro re indifferenti habentur. Scythæ Dianæ hospites immolant; & parentes, sexaginta annos prætergressos, jugulant. Solonis Lege permillum unicuique apud Athenienses, filium necare. Apud Romanos gladiatores, perpetrato homicidio, etiam honore afficiebantur. Apud Lacedæmonios puniti fures, non quod furati, sed quod deprehensi sint. Fuerunt ergo enumeratæ Gentes sociales, habuerunt inter se amicitiam & pacem, absque hoc, quod Jus Naturæ servarent. Ergo Jus Naturæ potest quidpiam præcipere, vel prohibere, quod ex ratione socialitatis per se non vincitur iustum vel iniustum esse.

33 V. quia, si socialitas faciat, aliquid esse licitum vel illicitum, quantum nempè socialitati vel profecti, vel obest, sequitur, præcepta Naturalia ab hominibus esse mutabilia: quis enim nescit, humanam societatem de Jure suo disponere, ac, quæ sibi sunt propria, abdicare & alienare posse? Hæc sequela, cum omnium sententiæ repugnet, principium, unde deducitur, à nemine cum ratione teneri potest.

34 Neque solida sunt fundamenta contraria. Ex eo siquidem, quod homo dicatur animal sociale, habeatque nativam inclinationem ad mutuam societatem, ac aliorum ope & operâ indigeat, id tantummodò convincitur, societatem (maximè supposito decreto & mandato DEI de multiplicando & propagando genere humano) Naturæ rationali valde conformem, & sub modò necessariam; consequenter, ut illa societas ritè instituat,ur,

Legibus opus esse, tum Naturalibus, tum Positivis, universalibus & particularibus. Cum verò nec societas, saltem singulis, præcepta sit; nec, qui in societate sunt, cum solis sociis habeant, quod agant, quippe qui & DEO & sibi debita officia exhibere tenentur: profectò socialitas pro unico ac universali principio & regula, disjucandi objecta & capita Juris Naturalis, nequit assumi.

Atque huic posteriori sententiæ & ego subscribo. Partim: quia Jus Naturale, quamvis non unius hominis in particulari, sed totius humanitatis bonum respiciat, nihilominus per se primò hominem respectu sui ipsius sicut creatoris informare intendit, quam in ordine ad Rempublicam: sicque antè bonum hominem, quam civem efficere conatur: partim quia, stante etiam decreto de multiplicandâ Gente humanâ, id fieri posset, datâ solâ communione & conjunctione inter conjuges, etsi societas quædam generalis non esset introducta: partim quia quàmplurima socialitatis principia, non tam in necessitate Naturæ, quam liberò humanæ constitutionis arbitrio, fundantur: partim quia vita Eremitica, absolutè & in se spectata, non est miserima, uti citatus antea Gelfusius eisd. loc. perperam affirmare non est veritus; sed, si bene suscipiatur, & custodiatur, felicissima; si nempè ad eremos illi convolent, qui juxta probatissimam doctrinam D. P. Benedicti Reg. cap. 1. non conversionis fervore novitii, sed diuturnâ probatione contra diabolum pugnare docti, ex fraternitate acie ad singularem eremi pugnam descendunt. Neque tam mundo, quam DEO soli vivere appetunt, juxta illud Osee 2. §. 14. ducam enim in solitudinem, & loquar ad ejus. Habent isti propositi sui non tantum approbatores, sed sectatores & duces, DEUM hominem, illius Præcursores, Eliam, Paulum, & innumeros alios Anachoretas, Sanctorum Albo insertos. Quos culpæ velle, culpa foret maxima.

§. III.

Statuitur duplex regula de intelligendo Juris Naturalis objecto.

36 De sententiæ de cognoscendo Juris Naturalis objecto relatæ, sed non probatæ sunt. Superessent plures, quas brevitaris studio transmittit. Meam ergo & tertiam statuo, ac pro intelligendo Juris Naturalis objecto sequentes regulas trado.

37 Regula prima. Quidquid simpliciter expedit, esse licitum ad felicem humanam Naturæ statum, id omne, spectatò Naturæ Jure, est licitum. Item, quod in ordine ad eundem finem simpliciter expedit, esse præceptum vel prohibitum, id omne, Naturali Jure, est obligatorium. Similiter, quod simpliciter expedit, esse graviter vel leviter prohibitum pro humani generis beata conditione, est de Jure Naturæ graviter vel leviter prohibitum. Ita Cardinalis Sfortia Pallavicinus Philos. Agr. seu

de Bono lib. 1. cap. 26. & seqq. P. Haunold Theolog. specul. lib. 2. tit. 1. n. 350. & seq. D. Gletle Jurisprud. fund. l. 1. tit. 2. cap. 2. §. 3. num. 7. Ratio est: quia ex decisis in cap. 1. n. 8. & seqq. Lex omnis respicit communem felicitatem. Ergo, quia Jus Naturæ, tanquam firmissima & fidissima honestatis regula, est Lex, & quidem summa ac præcipua, respicit felicitatem communem totius Naturæ humanæ. Ergo quod expedit, esse licitum, vel prohibitum, aut præceptum, sub gravi vel levi obligatione, ad felicem humanam Naturæ statum, erit objectum Juris Naturalis.

Dixi aliquoties: quod simpliciter expedit. Quod enim non simpliciter & necessariò conducit, esse licitum aut veritum pro tranquillo & felici humanæ conditionis statu, sed utile duntaxat ac perquam commodum est, rectius ad objectum Positivum quam Naturalis Juris reducendum esse, censeo cum P. Joanne Bapt. Erhardt. Quest. Theol. de peccat. thesi. 27. Sunt namque plurima Legis Positivæ capita, quæ, tamen pro omni tempore prohibita, fuissent bono publico valde proficua & utilia, liberâ tamen Legislatoris voluntate pro certo solum tempore fuerunt interdicta. E. G. multum expeditisset bono communi, matrimonia clandestina, cum infinita secum trahant incommoda, usque & usque fuisset verita & invalida; & tamen ante Legem positivam Concilii Tridentini illa valuisse, notius est, quam ut probari debeat. Ratio hujus doctrinæ à priori cum citato præclarissimo Theologo hæc assignari potest: quia non erat commodum generi humano, obrui vel Legum Naturalium immensâ mole; sed illa solum objecta expeditabat, esse præcepta vel prohibita, licita vel illicita, quæ primò quasi intuitu, vel clarâ deductione poterant censei esse simpliciter necessaria ad bonum commune, ut præciperentur vel prohiberentur, licita vel illicita fierent. Quid enim magis minime conducatur vel obest bono communi, non quis facile dispicere valet; cum tamen lumen rationis ejusque dictamina, ut plurimum expediat, esse omnibus communia, obvia, & non multum recondita. Ad hoc autem, ut cuius dignoscere liceat, quidnam simpliciter expediat, vel non expediat humanæ felicitati, sit

Regula secunda. Id omne simpliciter expedit, licere, in cuius licentiam homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab Authore Naturæ requisiti fuissent suffragium. Et econtrâ: Id omne simpliciter non expedit, licere, in cuius licentiam homines non consensissent, si ante omnem casum particularem ab Authore Naturæ consulti fuissent. Rursus: Id simpliciter expedit, graviter vel leviter esse præceptum aut prohibitum, in cuius gravem vel levem obligationem homines, explicitò modò quaesiti, votum suum dedissent. Ita Authores, mox recensenti. Declaratur, & probatur regula.

Quando aliquis se fingit, esse positum in statu planè abstracto & indifferenti, ita ut nullam planè notitiam de futuris contingentibus habeat, ignarus, sine exiturus dives aut pauper; nobilis aut ignobilis; dominus aut subditus; honoratus aut despectus; nocens aut innocens: tunc ab Authore Naturæ in consilium vocatus, ac de sententia dicenda, sine hoc vel illud objectum licitum an illicitum, rogatus, profectò non aliter dixisset aut consulisset, nisi prout simpliciter expedit vel non expedit credidisset ad felicem humani generis conditionem. Cum enim ex n. 88. quæ Naturales ac aliæ Leges dirigantur in bonum universalitatis: homo, de Legge Naturali ferendâ consultus, non ex alio quam boni publici sine consilium suum explicare potuisset. Quod autem quisque Authori Naturæ

in dato eventu suavisset, id de facto decium & statutum fuisse, sed minus dubitet, quò certius ex Divino testimonio tum in Psalmo 4. tum Joannis 1. cap. scit. signatum esse super nos lumen Divini vultus; DEUMque illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. Hinc scitè Hierocles ad mentem Pythagoræ dixisse legitur: idem est rationi parere, atque DEO. Natura enim, quæ rationis est particeps, cum splendorem suum, suamque lucem sortita est, ea ipsa amplectitur, quæ Divina Lex statuit, nec discrepat à DEI sententia animus, qui secundum DEUM se habet.

Confirmatur & promovetur discursus. Bonum, definiens Aristotele, est, quod omnes appetunt: nullum autem bonum est amabilius, & appetibilius, quam propria felicitas: quia, ut habet Card. Aguirre ad lib. 1. Ethicorum, cap. 8. num. 6. felicitas amatur ab unoquoque, cum omnes velint esse felices. Atqui felicitas propria, quam quisque hominum habet, aut habere sperat, non potest haberi vel sperari certius, quam ex communi humani generis felicitate: quia, ut loquitur allegatus P. Erhardt, bonum communitatis est bonum singulorum, & bonum singulorum est bonum communitatis. Ergo, qui de Lege Naturali faciendâ in consilium vocatus esset, cum utique propriam felicitatem in functione Legis penitus negligere velle credendus non sit, non aliter diciturus aut suaturus esse judicandus est, ac sicut communi hominum felicitati expedire crederet: quia, ut insinuatum est, communis felicitas singulos reddit felices. Contra hanc & priorem regulam

Obijcies I. multa reperitur, quæ honesta & concessa non sunt, tamen plus boni & solatii, quam mali & molestiæ communitati hominum afferant. E. G. occisio hominis improbi, injusti Magistratûs facta; occisio Regis, stultè & tyrannicè regnantis; mendacium, conservandæ Reipublicæ gratiâ prolatum &c. & plures ejusmodi actiones sunt illicitæ & inconcessæ, esto plus profectus, quam obessent Reipublicæ. Ergo prima regula non est bona.

Resp. hanc objectionem versari in malo supposito. Quando in num. 87. regulam posuimus, quod honestas actionis ex utilitate publica dimittenda sit, non intelleximus utilitatem, quæ in uno vel altero casu particulari, sed quæ in communi & plerumque ex permissione vel prohibitione actionis eveniret. At in exemplis relatis posset equidem ex licentia occisionis vel mendacii semel & iterum singulare commodum subnasci; commune verò emolumentum neutquam resularet. Nam, ut facundè diserit citatus Pallavicinus d. lib. 1. cap. 21. si cuique concessum foret, eos privatâ auctoritate interimere, qui interimenti videntur improbi: cuiquam, rogo, perpetuum vitæ periculum non intentarent depravata passim hominum, vel ex odio, vel ex temeritate, judicia? An lateat nos, quam discrepantibus & oculis intueatur, & linguis

narret fama vel res gestas Heroum? Quis nescit, quantū estimacionis iniquitate laboraverit aliquamdiu per Europam Bernardus; hoc est, salutaris ille non operā minū quam ingenio Europæ Angelus? Quot homines vel sanctissimi damnaverunt Chrysostrum illum, cuius vox Cœli tuba; cuius constantia Cœli propugnaculum fuit? Avertat DEUS, ut sinistra qualibet aliorum persuasio, quæ linguas acuit, & nostrum transigit nomen, enies quoque in nos extatere possit, peccusque transigere.

98 Jam verò, subicit idem Cardinalis, de Regibus quid attinet loqui? Nemo privatorum sic hebes est, ut Salomoni parem se ad regendum non jactet. Contrā, ne si alter quidem è Cœlo demitteretur Salomon ad regnandum, idcirco non irideretur quasi hebes à popello, in umbra private conditionis caligante. Quare fac honestum sit, Regem malè administrantem interficere, vix ullus à furentis plebis audacia securus erit.

99 De mendacio tandem, concludit ille, nōsti, quantum humana congregatio sermone juvetur: hōc sequestrò ita scientiam cum aliis communicamus, eandem ut nobis integram retineamus. Considera noticiam hanc, quæ ad nos ex alieno testimonio manat, eam tandem esse, quæ parentes, quæ liberos, quæ cognatos, quæ Principes, quæ legatum nobis à majoribus patrimonium agnoscimus; undè verbò, quæ reguntur de liberatione cunctæ, judicis, distributio cum præmiorum, tum pœnarum; quæ denique universa mortalium rerum procuratio continetur. Præstat ergo, nullò ut eventu mentiri liceat: alioquin semper auditor iure vebitur, ne tum forte in eo, in quo mendacium innocens est, loquitur aut re, aut opinione veretur. Quocirca nulla vel perspicillima loquentis prohibita omnia de re, quam loquitur, nec in assentiendo suspicionem, nec in deliberando hæsitantiam merito distillabit ex audientium animis. Hucusque ferè in formalibus Pallavicinis.

100 Obijcies II. non omnia, quæ Jure Naturæ præcepta sunt vel prohibita, tendunt ad bonum universale totius humanæ Naturæ. Nam occisio v.g. sui ipsius; peccata carnis cum propria persona, cogitatu vel opere perpetrata; blasphemia vel odium DEI &c. sunt flagitia, Jure Naturæ vetita; & tamen bono universali totius humanæ Naturæ non officiant. Ergo superior & prima regula non est appōita ad singula Juris Naturalis objecta explicanda.

101 Resp. ex P. Erhard *cit. l. 1. c. 15. & seq.* omne peccatum esse contra bonum DEI, proprium, & communitatis: cum enim bonum, quod Lex Naturalis intendit, sit simul bonum singulorum & bonum omnium, quatenus ex felicitate singulorum confurgit felicitas communis; ac præterea ex singulari & benignissima Divini Creatoris dispensatione bona DEI fiant bona nostra, & nostra pariter fiant bona DEI: nullum peccatum est, quod non offendat bonum DEI, communitatis, & proprium.

Quòd verò aliqua peccata dicantur esse contra DEUM, alia contra proximum, alia contra seipsum, inde est: quia aliqui actus immediate bono DEI, alii immediate bono proximi, alii bono proprio opponuntur; licet mediantia omnia hæc bona simul procurentur, actibus proficuis, & simul actibus contrariis pessumdantur.

Interim, ut nihil meo morem de peccatis contra DEUM, de quibus infra in n. 10. sed demonstrarem, reliqua peccata, in objectione relata, esse contra Naturæ rationalis commune bonum: considerandum relinquo, an non autochiria seu propitidii promiscua facultas diminuat numerum civium, tollat occasionem meritorum, injuriam inferat DEO & Republicæ? Cum occisio sui vitam, quam non proprii industria sed miserentis DEI gratiā, tum ad Divinum honorem, tum ad boni communis incrementum, acquisivit, prodigā insanā & insanā prodigalitate abijciat. Omnia animantia appetunt sui conservationem; & homo, ferè bestia crudelior, invidet sibi lucem, quam DEUS & Natura indulget? Quin, cum plerumque ex inversa, perversa, & sinistra impressione aut phantasia suicidæ mortem tanquam minus malum (dum tamen naturaliter majus non est) eligant: an non expediens fuit Naturæ humanæ quæ tali, liberum propriæ occisionis arbitrium à Natura Lege suis se adeptum, ne, quam ablatam recuperare non licet, auferre sibi vitam (solutò quæ fore possit)? Quæ causa est, quòd omnes ferè populi, ipsique Gentiles & eadem propriam detestati, & inferorum rogò dignos ejusmodi homines arbitrati sunt, teite Potestarem Principem, qui in *sexto Æneidos* locum in stygæ assignat iis,

Qui sibi letum
Insontes peperere manu, lucemque perosi,
Proferre animas.

Peccata in materia lubrica, cum proprio individo commissa utique abhorret Natura, non tantum quia Naturæ ordinem & finem intervertunt, sed etiam quia ex Doctoris Angelici doctrina (quam retet & ampliat Johannes Cardenas in *Crisi Theologica* *disfert.* 29. à *num.* 92. ad propositionem 48. & 49. ab Innocent. XI. damnatas) luxuria est arbor pessilens & infœcunda, nullus alios fructus afferens, quam cæcitatē mentis, inconsiderationem, præcipitationem, inconstantiam, amorem sui, tædium DEI, affectum presentis sæculi, horrorem vel desperationem futuri: ex qua ratione fit, ut illi, qui se dissimulò hōc vitio delectantur, & ipsi ad munera & officia sibi aliisque utilia inhabiles existant, & ab aliis tanquam effœminatæ & infames vilipendantur. Imò, concessā similitudine voluptatum indulgentiā, nemo facile matrimonium, ex se onerosum, appeteret: cum libentius voluptate sine dolore quam cum dolore frui, vix aliquis sit, qui non ambiat.

Neque interest, quòd plurimi non tantum ex Gentibus, sed etiam Christianis, Catholicis, Sapientibus, Piis, vel negarint, vel in dubium

bium vocarint: sicut autochiria, mollities, & similia flagitia contra Naturam? Fortè enim ex alio, quam nostro principio Juris Naturalis objecta mensurarent; aut non sufficienti rationis lumine (quod Divinæ Munificentiæ in acceptis est referendum) præditi, aliter, quam oportuisset, ratiocinatis sunt: cum tamen ex decisione Pontificia Innoc. XI. in *cit. prop.* 49. indubitate pateat, mollitiem esse peccatum contra Naturam, conformiter decisioni & doctrinæ Apostolicæ, quam proponit Gentium prædicator ad *Rom.* 1. *v.* 24. ibi: *tradidit illos DEUS in desideria cordis eorum: in immunditiam, ut contumeliis officians corpora sua in semetipsis; & 1. ad Corinth.* 6. *v.* 19. ibi: *neque molles regnum DEI possidebunt: Illustrant hoc punctum SS. Patres apud Cardenam *cit. disert.* 29.*

107 Obijcies III. regula honestatis vel inhonestatis Naturalis, ex communi generis humani utilitate dignoscenda, non videtur esse diversa ab illa, quæ in socialitate solidatur: quid enim aliud est bonum socialitatis, quam bonum commune plurium, in societate existentium? Sed rejecta est socialitas, nec agnita

pro principio honestatis vel inhonestatis Naturalis. Ergo eodem jure rejicienda est communis utilitas.

Resp. principium socialitatis multis paralogis à principio communis utilitatis creaturæ rationalis quæ talis distat. Socialitas siquidem nec primum, nec unum, nec universale principium est justitiae & liciti Naturalis quia requirit & supponit hominem, in societate necessario constitutum: cum tamen ex supra probatis à *num.* 85. neque absolutè necessarium sit, in societate coire; neque, stante socialitate, officia hominis erga DEUM & seipsum exinde desumi possint. At communis creaturæ rationalis utilitas non requirit, per se loquendo, civilem societatem: cum Lex Naturæ in bonum Naturæ ferri & rogari valeat, tamen homines nullam invicem societatem incant. Unde memorata ratio communis utilitatis est primum, unum, universale, tunc verbò, genuinum principium, uti aliarum, ita & Naturalium Legum. Reliquas objectiones, quæ contra has regulas formari possent, haud agrè ex *seq.* quis enotare poterit.

§. IV.

Expōita doctrina ad casus singulares applicatur.

110 UT gemina regula, quam de investigando Juris Naturalis objecto in §. præced. exposuimus, magis perspicua, magisque fundata appareat, ad casus singulares modò applicatur, & ex illa

Ostenditur I. omnia Decalogi præcepta justissima conclusione ad Jus Naturæ revocari. Nam præcepta primæ tabulæ, quæ officia hominis erga DEUM explicant, sine dubio communi totius Naturæ vortè ea ex causa rata & probata sunt: quia expedire in ordine ad felicem conditionem Naturæ rationalis, ut primus illius Author & Conditor omni Religiosis & pietatis officio colatur; quatenus tam debita gratitudinis servitium recipiat, quam ad providentissimam conservationis indulgentiam simul propicietur. Et profectò, eum omnis bonitatis & felicitatis humanæ exordium ab Opt. Maximo Numine scaturiat, juxta illud à Gentibus usurpatum adagium: *Fove principium;* beatorum & feliciorum humanitas nunquam erit, quam si fontem omnis beatitatis Religiosis actibus sibi faventem

111 & propitium. Et idè Philosophorum non postremum Pythagoras dicere assolebat: *vita omnis ordinatur & componitur ad id, ut sequamur DEUM;* hocque *Philosophia* dicit, quòd *ridicule faciunt homines, qui aliunde felicitatem querunt, quam à Diis, & qui eis sunt consimiles.* Pythagoræ suffragatur Socrates, qui apud Xenophontem, *Deos colere Legem esse, ait, qua apud omnes homines valet.* Socrati ad stipulatur Plato, qui pro primo Naturæ principio statuit, *DEUM esse;* eaque ratione motus *lib. 4. de LL.* ita loquitur: *DEUS, è viri, quemadmodum & vetus sermo habet, principium, & finem,*

& media omnium rerum in potestate sua habens, recta viâ incedit, naturâ sua omnia circumspicit. Hinc autem semper consideratur justitia, cœquitas, qua à Legè Divina aberrant, vindex. Cui, quisque beatus esse cupit, se associat, & demisit & madasse sequitur.

Præcepta secundæ tabulæ ex proposito Juris Naturalis principio liquidissima sequela deduci, cuius absque longiori discursu pervium est. Quòd enim in recta harmonia Superiorum & inferiorum, nec non æqualium inter se quies publica consistat, nemo est, qui neget. Quid autem præcepta secundæ tabulæ aliud præcipiunt, quàm obedientiam liberorum & subditorum erga parentes & Superiores; quam mutuum amorem inter proximos? Quid aliud interdiciunt, nisi furta, rapinas, adulteria, homicidia, & sexcenta alia injustitiæ & flagitiorum genera, quæ diuturnæ & constanti humanæ societatis concordie quam maxime obstant?

Ostenditur II. tam matrimonium, quam coelibatum ex Jure Naturæ descendere. Et matrimonium quidem ex Jure Naturæ ortum traxisse, humanæ prolepiæ, ad finem usque mundi propagandæ, necessitas, nulli non manifestè indicat. Coelibatum verò (sub

112 spontanea libertate, & absque necessitate) Jure Naturæ permittum esse, inde probatur: quia coelibatus est bonum longè excellentius & nobilissimum bonò conjugii: partim quòd, demonstrante Haunoldò *cit. lib. 2. Theol. Schol. tract. 1. num.* 356. præter mentis singularem tranquillitatem expeditorem coelestium rerum contemplationem afferat: partim quòd majorem similitudinem mortalibus cum Deo,

qui totus est Spiritus, adsciscat: partim denique, quod etiam ad munera & munia politica ac naturalia quemvis apertiore & intentione rem efficiat.

115 Omnium ergo mortalium ante prævisas peculiares statūs & conditiones suæ circumstantias quaestorum vota, fuisse, cessandum est, ut cœlibatus, tanquam expeditus & utilis, fuit, cujusvis hominis libero arbitrio relinquatur. Verè igitur & egregiè Cicero in *Orat. pro Sylla, Regum est*, inquit, *ut virore, ut non modo homini, sed ne cupiditati quidem servias.* Et, edocente Lipsiò *Adon. l. 2. cap. 17. castitas dignissima est Principe, cuius proprium est, alta & seria cogitare; quod non permittit libido, que in sordidis cogitationibus & cano suo hæret.* Videatur Eximius D. P. Anselmus Schramb *Phil. Mor. part. 1. art. 10.*

116 Quando ergo nonnulli, carne quàm spiritu magis animati, opponunt: matrimonium esse sub præcepto institutum, utpote sine quo humanum genus crescere & multiplicari non potuisset: responderet ex A Catholicis ipsemet Puffendorff de *J. N. lib. 6. cap. 1. §. 7.* esse præceptum affirmativum, indefinitum, & indeterminatum; quòdve non singulos necessariò & quòvis tempore obliget: consentiente in idem placitum Jacobò à Rysfel, qui de *J. N. l. 1. cap. 18. num. 8.* scribit, illos, qui à Natura feruntur ad cœlibatum, cum nullus defectus est inter homines, non peccare contra voluntatem DEI, si hanc societatem intermittant; Legemque de incedendo matrimonio ita intelligi, quòd quidem obliget totam communitatem hominum, non autem perinde

117 singulos. Jam verò defectum & penuriam hominum, in sæculo remanentium, non esse, pridem in persona Anacoreti demonstravit amenissimus Barclajus *Argendis lib. 5. cap. 12.* ubi, si quem, inquit, animus subit experientia suavitatis, quam habet nostra (Religiosorum) austeritas, ne illum argumenta quævis deterreat; neve suo cœlibatu credat, solitudinem orbi inducere. Ultero nobis (Religiosis) accedat: adhuc populus proletarii supererunt; adhuc artificia vigeant; restabuntque, quot fat erunt urbibus terrisque colendis. Desine vereri, ne toti hominum generi desiderium veniat, se in disciplinam nostram Philosophiæ dedendū. Dii enim hoc beneficium magis habent eximium, quàm ut illud toti populo indulgeant. Nemini autem absque eorum impulsu venire hæc ritè mens potest; nemòque in ea, nisi iisdem juvenilibus, perdurat.

118 Quòd autem citatus Rysfel licentiosò calamo cit. loc. num. 9. atterere audeat: quòd cœlibatum Monachatus ex vero suo principio derivare volumus, non possumus non existimare, quòd illis Dominis matrimonia propterea sint interdita, ut missis curis domesticis, tantum interesse Sedis Papalis & comunem utilitatem Clericorum observent: impolluta & calumnia est, non argumentò, sed contemptu explodenda. Quali verò tot Religiosorum millia, quibus Apostolica Sedes

equidem venerationi est, in gratiam folium Summi Pontificis, quem neque noverunt, neque commodum aliquod temporale ab eodem sperare possunt, mundo & carni nuntium misisse, quispiam sobriae mentis unquam vel cogitaverit: nisi ipsos Apolos, quorum exempla Religiosi sectantur, ex motivo honoris vel commodi temporalis ad cœlibatum aspirasse, edicere non erubuerit.

Au-119 diat, quisquis similia scribere vel fingere amat, quæ citatus Barclajus de Religiosi cœlibatus præstantia & utilitate loc. cit. sub ichemate ejusdem Anacoreti perorat, ubi, inquit, amor recti & ambitus incedendo cum Diis amicitia, simulque castitatis ira timor, reitigit animum; nihil illi antiquius esse debet, quàm recedere de vitiorum periculis, jam tot mortalium exitio infamibus. Ea verò pericula partim nobis insita habemus, partim ab aliis in nos incurrant: Et in hac omnia efficiendi remediò, ipsam solitaria severitatis religionem invenimus. Hæc Barclajus & plura ibidem &c. Qui verò Sectariorum argutias contra cœlibatum explorare cupit, adeat Illustrissimum D. Augustinum Reding in *Veritate inexcitata Concil. Trid. Sess. 24. tract. ii. quæst. 7. & 8.* inveniet tela & scutum.

120 Ostenditur III. quænam impedimenta Naturali Jure matrimonium derimant. Primò enim polygamia, tam virilis & in specie sic dicta, quàm fœminina (alias polyviria) valorem matrimonii subvertunt. Nam, ut aptè ad propositum loquitur Philippus Reinardus Vitiarius in *Instit. J. N. cap. 5. n. 16.* Jus conjugale non pendet à solo conjugum consensu, sed etiam à DEO & Jure Naturæ, quòd vult, ut amor conjugalis sit æqualis, reciprocus, & individuus, sine quo societas honesta & decora inter homines stare non potest. Jus enim Naturæ æquale est in omnibus hominibus in universo mundo, & sic in pauperibus æquè ac divitibus: quibus omnibus si concedatur jus habendi plures uxores, evertatur societas, necesse est. Scilicet pro liberorum nimiam multitudinem nobiles familiæ ad egestatem, modicæ ad mendicitatem rediguntur, ac tandem tenui plebeulâ civitates replentur, ubi commodò evacuari nequeunt, mole sua Respublicas subvertunt.

Ad hæc utraque polygamie species inducit 121 discordias, rixas, bella domestica, uti D. Augustinus apud Felicem Verani *Juris Can. tom. 4. ad l. 4. Decretal. l. 4. num. 23.* ostendit; & legitur *Gen. 16. 30. ac 1. Reg. 1.* eaque ex causa Socrates Alcibiadi interroganti: cur duas ferret in domo uxores? respondisse fertur: hæc me domi docent tolerantiam, quâ in publico utendum est. Adeoque tam generationi quàm educationi prolis utraque plurimum nocet. Gibalinus *Scientia Can. l. 3. c. 3. q. 3. n. 27.* Præ-122 terea, ut notat citatus Verani num. 24. Genes fat mulxæ, solius Naturæ radiò illuminatæ, polygamia malitiam agnovère: quòdve singulariter Germani ab uxorum pluralitate abstinerint, testis est Tacitus de *Mor. Germ.*

Accedit, quòd fides conjugalis, quæ sicut 123 omnis,

omnis, sic maxime conjugalis societatis nokus est, haud dubiè violenter per accessum ad aliam fœminam, ac cui prima fides est data. Vitiarius cit. loc. Indeque Matthæi *cap. 5. & 19.* adulterium committere dicitur, qui uxorem suam dimittit, & aliam ducit. Ex quo loco Innocentius III. in *cap. gaudemus 8. de Divortio* solidè arguit: *si ergo, uxore dimissa, duci alia de Jure non potest, fornicus & ipsa re-*

124 tentia. Denique uti Divina Veritas cit. loc. Matthæi & Marci 10. discurre, ab initio, quando DEUS masculum & fœminam creavit, non erat sic; hoc est, plures uxores habere non licebat; ex quo non plures, sed duo in carne una fiunt per matrimonium. Neque, ut differit Innocentius in *cit. c. gaudemus, ubi nunquam licuit, in simul plures uxores habere, nisi eui Divina revelatione concessum fuit.* Videatur Reding ad *Concil. Trid. Sess. 24. tr. 11. sess. 2. q. 4.*

125 Deinde perpicuum est, errorem, vim, impotentiam, & quæcunque impedimenta, quæ defectum substantialem sive ex parte corporis sive ex parte animi; sive ratione voluntatis, sive ratione potestatis inducunt, ex Jure Naturæ deduci. Neque enim creaturæ rationales approbare poterunt matrimonium, ad cuius subsistentiam requisita essentialia defunt.

126 De cognatione carnali, in quânam linea, & quòto gradu matrimonium de Jure Naturæ dirimat? Multifaria & opposita DD. placita reperio; quorum examen & discussio, cum specialem laborem mereatur, ad *tom. 3. lib. 4. tract. 3.* differetur.

127 Ostenditur IV. originem patris potestatis, quatenus includit jus regendi, educandi, & alendi liberos, à Jure Naturæ duci. Kestnerus de *J. N. cap. 4. §. 11. & 13.* Cum enim liberi majori cum miseria quàm bruta nascantur, quippe qui diuturnò fati tempore nec de alimentis sibi prospicere, nec de agendis semet instruere possunt: rectè Natura non tantum alimentandi sed educandi quoque & regendi obligationem, concordi & communi

128 mortalium arbitriò, parentibus detulit. Parum siquidem esset, liberos procreare, eos tamen vel in onus statim ad manes & manus mortis damnare, alimentò vitæque vehiculò destitutos; vel brutorum instar sibi suisque indomitis affectibus relinquere, omni educatione & directione privatos. Audiatur Cicero, qui *Lib. 3. de fin. ait: etiam in bestijs vis Natura inspicit potest: quorum in factu & educatione laborem cum cernimus, Natura ipsius vocem audire videmus.*

129 Dixi parentibus. Quòd enim solus pater de Jure Romano potestatem in liberos adeptus fuerit, non etiam mater, contra Jus Naturæ permixtum est, quò æquè genitrici ac genitoris jus in liberos competit, ob æqualem, si non majorem, illius quàm istius in liberos amorem & laborem; quamquàm si convenire non possint, viro utique potius & præstantius imperium quàm fœminæ concessum videatur. Puffendorff de *J. N. lib. 6. cap. 20.*

Ostenditur V. divisionem rerum, supposita humani generis multitudine & multiplicatione, cum Puffendorff de *J. N. & G. lib. 4. cap. 4. num. 6.* D. Braun de *Dominio cap. 4. §. 12. n. 5. & 7.* Juri Naturali non sine fundamento adscribi posse. Tamest enim ex communissimo DD. placito in prima mundi ætate res aliquamdiu fuerint communes, partim negativè, quatenus, ut vult cit. Puffendorff, res omnes fuerunt in medio positæ, & non magis ad hunc, quàm illum pertinuerunt: partim etiam positivè, quatenus, ut habet Braun *cit. l. §. 1. num. 3.* dominium rerum creatarum fuit penes totam communitatem hominum, cullibet verò de communitate jus competit, rem aliquam pro suo usu & indigentia ex immenso illo rerum cumulo sibi appropriandi, ita ut, quod quisque sibi arripuerat, non potuerit illi sine injuria auferri. Tamest, 130 inquam, res ita communes fuerint: nihilo tamen minus ista communio non erat Juri Naturalis præceptivi, sed permixti & conditionati; eousque videlicet restricta, donec communis pax & tranquillitas humanæ societatis, quæ stante rerum confusione persistere non potuisset, recessum à communiõne, & divisionem ac proprietatem exegerit.

Neque exotium aut insolitum videri debet, quæpiam præcepta Juri Naturalis esse, quæ locum & vim non obtinent pro omni statu, tempore, & suppositione: nam & præceptum parenti dominis non habet virtutem, nisi supposita servitute; & præceptum de non furando effectum Legalem non exserit, nisi introducta rerum proprietate. Adeoque sine absurdo erit, quòd præceptum de tollenda communiõne, & introducenda divisione pro illo duntaxat statu vigorem suum acceperit, quò concordia & tranquillitas inter homines sine hoc medio stabiliri non valuit. Confer citatos Auctores, qui non solum plura argumenta in rem præsentem idonea suggerunt, sed etiam obstantia refellunt.

Ostenditur VI. effectum, qui humanas conventiones & pactiones comitatur, puta obligationem servandi & custodiendi fidem, de liberatè & mutuo datam, ex Jure Naturali pullulare. Esto enim liberum & arbitrarium cuius sit, velle pacisci & contrahere, vel à pactis & contractibus abstinere: atamen contractus & pacta, sincerè & sanctè inita, eludere aut contemnere, sine injuria & offensa boni publici, sine transgressione Legis Naturalis, non licet. Alioquin, quis alteri 131 fideret, crederet, consentiret, juratum quoque fidem interponenti? Certe nemo. Sicque intercederent commercia, dissolverentur societates, perirent Respublicæ, Fide, unico velut commerciorum, societatum, & Republicarum vinculo, deficiente. Verè igitur Aristoteles, *sublatâ fide*, inquit, *tollitur, quòd inter homines est, commercium.* Cicero quoque nefarium existimat, fidem frangere, quæ continet vitam, *sanctissimum*, ut Seneca loquitur, *humani pectus bonum.*